

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Circumcisus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

CIRCVMCISI. Actor. II.

ARGUMENTVM,

Reprehensus a Christianis Judæis Petrus,
quod cum Cornelio extraneæ gentis homine
congressus fuisset, causam dicit, & obtinet.

Christiani, Petrus.

Nos quidem factum tuum probare nullo pacto possimus, ut libere loquamur. *P.* Quodnam id est tandem? *C.* Quod homines præputio præditos convenisti, & cum eis cibum cepisti. *P.* Si vobis videtur, rem omnem, prout sese habet, enarrabo; vos ea audita judicabitis. *C.* Placet, enarra. *P.* Cum in oppido Joppa orarem, vi-sus sum mihi videre (cum essem extra me raptus,) vas quoddam descendens, quasi linteum magnum, quod quatuor capitibus de cœlo demissum, ad me usque pervenit. Id cum attentus contemplarer, vidi quadrupeda terrestria; & feras, & reptilia, & aeris volucres, simulque vocem audivi dicentem mihi: Age Petre, macta, vescere. Tum ego: Miniime, Domine, nihil enim unquam iminundum, aut impurum per os meum intravit. At illa vox iterum de cœlo inquit; quæ Deus purgavit, tu ne pollue. Idque ter factum est, & tum de-mum omnia in cœlum subducta sunt. Tum continuo præsto fuerunt tres homines in ea domo, in qua eram, ad me Cæsarea misli. Cum his ut abjecta omni cunctatione congrederer, divino afflu-tu adinonitus sum. Iverunt una mecum sex fra-tres hi, ac nobis hominis domum ingressis renun-

T 5

ciavit



298 DIALOG. SACRORVM

ciavit ille, ut Genium domi suæ vidisset adstantem, & sibi præcipientem, ut mitteret Joppen homines, qui accerferent Simoneum cognomine, Petrum: ex quo ea audiret, quæ ipsi essent, & ipsius toti familiæ salutaria. Hic cum ego loqui cœpisseim, illi divino afflatu correpti sunt, quemadmodum & nos fuimus principio. Tum recordatus sum illud Domini dictum, quo dixerat, Joanneum quidem abluisse aqua, sed nos Spiritu sacro ablutum iri. Quod si eodem illos munere affecerat Deus, quo nos, cum in Jesu Christi Domini fidem venissemus: ego quis eram, ut possim obsistere Deo? C. Jam nihil addimus: sed gratias Deo agimus, qui etiam exteris per vitæ castigationem aditum ad vitam patefecerit.

SENTENTIA.

Imitanda, est Petri modestia, qui quod divino iussu fecerat ejus tamen causam hominibus reddere non dignatur. Quos Deus admittit, eos reputare nemo debet.

R H O D E. Actor. 12.

ARGUMENTVM.

Eductus divinitus ex carcere Petrus, Christianis narrat, quemadmodum fuerit eductus.

Petrus, Rhode, Christiani.

Aperito mihi has fores aliquis. *R.* Nescio quis pulsat ostium: providebo quis sit. *P.* Ecquis aperit tandem! *R.* Petrus est, Petrus. *O me felic-*

